

B. M. II, 46.

N. 6, 10.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

X 1903724

II n
5791

REGNO ARE-
LATENSI,

Quam

Consensu atque autoritate Illustris
Jētorum Ordinis

SUB UMBONE
VIRI SUMMI

DN. JOHANNIS STRAUCHI, Jcti,

Aulæ Saxonicae Jenensis Consilarii Intimi, Consistorii
Ducalis utriusque Cancellarii & Præsidis, Facultatis Juri-
dicæ Senioris, ut & Curia provincialis
& Scabinatus Assessoris
primarii,

DN. Patroni & Præceptoris filiali obsequiō
jugiter venerandi,

Publicæ Eruditorum censura submittit

Philippus Henricus â Gottfart/Eq. Thur.
AUTOR.

In Jētorum Auditorio.

Ad diem statutum Maji Anno M. DC, LXXIV.

21.

JENÆ, Typis MÜLLERIANIS.

O.D.B.V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
REGNORUM
LITENSIS

Congregati ad hoc autorem illustris
Consilium Ordinis

Sive Libera
M.D.C.LXXIV

D.N. JOHANNES STRAUSS



Dr. Thomae & Praeceptorum
Juris et Historiae

Pub. Lib. Universitatis

Philippus Historicus & Jurisconsultus
AUCTOR

in Consilio

Adhibentur Anno M.D.C.LXXIV

L. E. N. A. Typis Universitatis

5





Quod felix faustumque divinum
Numen esse jubeat!

INTROITUS.

Difficile argumentum de
REGNO ARELATENSI
publicæ luci nunc expono, &
quidem sub arbitrio Viri IN-
COMPORABILIS Dn. JOHANNIS
STRAUCHII, sine laude etiam meâ fat cele-
bris. Jacta ergò est alea, an feliciter, despero.
Placuit igitur Ingenium in materiâ potius
gravi, quàm humili exercere, in qua halluci-
nari, si non laudem, saltem veniam merebi-
tur: Nam hic quoque me non latet, sum-
mos viros in hac materiâ aliquid humani fuis-
se passos. Iccircò non paucos prævideo,
qui idem etiam, quòd Photæ olim Rhetori
contra Alexandrum M. peroranti fuit
objectum, in me quoque jactitabunt:

NUM AUDES JUVENIS DE
TANTIS LOQVI REBUS. Tan-
tum adest, ut annisu meo quid novi statue-
rem, ut potius hinc inde apud Doctores spar-
sim delibata in formam disputationis redige-
rem; Satius putans, ex variis prudentiae
Autoribus, hic optima quaeque congerere,
quam propriae industriae viribus excogitata
periculosè proferre. Corrige, Candide Lector,
errores meos æquò animò. Fides enim dis-
sonantes calore iracundiae haud abrumpit
cytharædus, sed paululum pertendendo re-
ducit ad concentum. Hunc etiam imitari
te non pigeat; meliora edoctus lubenter
sequar; forsan invenies aliquid ibi ad pala-
tum tuum, de quo mihi gratularer, interdum
etiam sunt mixta mala bonis. Candidi Cen-
soris judicio fretus plura præfari insuper ha-
beo: Ante omnia tamen Dei omnipotentis
auxilium, ut conatui huic gratiosissimâ
assistentiâ succurrere velit, de-
votis imploro pre-
cibus.

CAPUT I.

CAP. I.

De

URBE ARELATE.

§. I.

REgno huic nomen, ab urbe, ARELAS, dicta, sed & ARELATE, Straboni *Ἀρελάται*, Ptolomæo *Ἀρελάτων*, Latinis Veterioribus ARELATUS & ARELATUM, hodie ARLAS. Urbs famigeratissima, non procul à mari Gallico, quâ Araris & Rhodanus simul unum facientes mare illabuntur. Prior fluvius ortum capit ex Vosgo monte; falsum igitur erit, cum Æthicus in Cosmogr. statuat, quod à Pœtavione nascatur fluvius Araris; rectè ergò rejicit hanc opinionem Josias Simlerus in Scholiis ad *Æthic. Cosmogr. p. 475.* dum dicit: Ingenuè fateor me non assequi neq; scire, de quo Pœtavione loquatur. Petavio illa, ut appellat tabula Peutingeriana, vel Pœtovio, ut scribitur in Itinerario Antonini Augusti est urbs ad Dravum fluvium, hodie **die Pettaw.** Quæ quomodo ad Arelaten pertineat, non liquet.

§. II. Confirmat quoq; Otto Frisingensis *l. 2. c. 29.* ubi hæc verba: Protenditur hæc provincia usq; ad Isaram fluvium. Hi vada Isaræ liquerunt. Junctam habens dominatui suo eam terram, quæ propriè provincia vocatur, & ab eò flumine porrigitur usq; ad ea loca, quâ Rhodanus mari percipitur, & *Arelatum civitas sita est.* Eò igitur pertinet Philostrati illud in vita Favorini Galli Arelatensis. *Τὴν μὲν γὰρ τῶν ἐσπερίων θαλασσῶν ἄρῃ, Ἀρελάτης πόλεως, ἢ ἐπὶ ἑρδανῶ ποταμῶ ἴκισαι.* Ubi nemo non videt legendum *Ῥωδανῶ* pro *ἑρδανῶ* Merula in *Cosmogr. p. 2. l. 3. c. 39. Zeil. in Itinerar. Gall. cap. 5.* confer etiam *Notit. Imper. Occid. cap. 37.*

a 3

§. III.

§. III. Thelinen olim nuncupatam à Græcis eam incolentibus literarum monumentis consignatum reliquit Festus Avienus :

Arelatus illic civitas attollitur
Theline vocata sub priore seculo
Grajo incolente.

Vid. Zeil. cit. loc. ARELATUM autem Rodani fluentis interscindi, notat Ausonius de *clar. urbib. p. 83.* carmen ejus ita sonat:

Pande duplex Arelate, tuos blanda hospita
portus

Gallula Roma Arelas; quam Narbo Martius,
& quam

Accolit alpinis opulenta Vienna Colonis.

Præcipitis Rodani sic intercisa fluentis

Ut mediam faciat navali ponte plateam;

Per quem Romani Commercia suscipit orbis.

ARELAS hîc duplex vocatur, & quidem exinde, quòd in duas à Rodano partes divideretur. Quin & pontis in Rodano, præter Ausonium, meminit Cassiodorus in *Epist. quâdam ad senatum urb. Rom. lib. 8. Epist. X.* ARELATE est civitas supra undas Rodani constituta: quæ in Orientis prospectum tabulatum pontem transmittit Merula *p. 2. l. 3. c. 30.* Sed mutatâ rerum facie, simplex existit. Tota in parte Rodani, quâ Italiam respicit, posita: Nostra ergo civitas septa undiq; est paludibus, in quibus præferoces a-luntur boves.

§. IV. Hinc major fuisse censetur, & magni viri partem olim urbis florentissimæ alteram à Gothis excisam, si-
bi

bi persuadent. Sarraceni enim cum ab Eudone Aquitaniae duce in auxilium vocati. *Annal. Fuldens. ab ann. 725. ad ann. 740.* ut & Marianus Scotus ad eosd. ann. cum innumerablem multitudinem post deletum in Hispania Vesegothorum regnum (tum temporis eorum erat Rex Rudericus, qui cum Sarracenis congregiens vincebatur. *Gervasius Tilber. p. 26.*) in Gallias transirent, ARELATO quoque urbe captâ, & omnibus circum demolitis. At Carolus, (quod regna vicina sibi instar mallei attereret, Martellis est cognominatus) pugnacissimus princeps omnes terras has occupatas è faucibus eorum iterum eripiebat. Theodericus frustra olim tentavit eam occupare per Ætium ducem, nam fortiter ab ejus obsidione fuit repulsus vid. *Prosper Aquitan. ad Theodos. XI. & Valentiniani. I. Consulatus. Marianus Scot. ad ann. 426.* ibi hoc notandum, quod apud hunc pro ARELAS legatur vitiosè ARCHILAT, apud istum ARCHILLAS. Licet paulò post iterum obsidione cinxit Clodovæus rex Francorum, tamen non valuit istam suæ potestatis facere, ut omne tentaret, quod ad expugnandam eam conducirer. Athalaricus Rex Gothorum, sub cujus ditione tum temporis erat, exinde commotus ut Arelatensibus perdurantem gloriosæ obsidionis penuriam perpeffis ad tempus fiscalia tributa relaxaret. Demum Vitiges Rex Gothorum pactus Francorum Regum amicitias, cum putaret, se minus Romanis simul & Germanis resistere posse; adhæc ut Franci sibi subvenirent contra Belisarium multis præliis gloriosum, ac à Justiniano ad liberandam Italiam à Gothorum Jugo missum. *Procop. lib. 2. de bell. Gothic. p. 337.* eam illis dedit; Factum ergo est, ut procurator monetæ Arelatensis Imperante Justiniano non vultus principis, ut alibi, monetæ imprimere-
tur, sed ipsorum Arelatensium *Procop. l. 3. de bell. Goth. ut*
Gal-

Gallias, inquit, Germani haberent, Justinianus permisit:
Ex quo tempore principes German. Massiliam & cætera cir-
ca id mare loca tenuerunt, unde & Arelate resident au-
reum nummum è nativò Galliarum metallo hi cudunt non
Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine sed suâ im-
pressâ, Notit. Imper. occid. cap. 37.

§. V. Quàm multis periculis semper fuerit exposi-
ta Arelas nostra, ex historiis notum est; Sed tamen benefi-
ciò divinò hisce malis usq; sese extricavit, quod Arelaten-
ses etiam ipsi adscribunt divinæ clementiæ, dum inquirunt:
Nos quidem credimus & confidimus in Domini misericordiâ
& precibus beati Casarii id effectum esse, ut ipsius tempori-
bus ita obsessa sit ab hostibus civitas Arelatensis, ut tamen
nec capi potuerit nec præda patere atq; sic deinde à Wisigothis
in Ostrogothorum ditionem pervenit, hodieq; in Christi no-
mine paret Childeberto Clodovai filio, ut possit de eâ quoque
dici: Transierunt de gente in gentem & de Regno in regnum
seu ad populum alterum, & non permisit Deus sub illò ho-
minem nocere Arelatensibus suis Baron. ad Ann. 508. n. 11.

§. VI. Cædem Parisiensem Incolæ civitatibus nostræ
lat experti fuerunt, quæ in nuptiarum festivitibus Mar-
garathæ (hæc autem soror fuit Caroli IX.) & Heinrici Na-
varræ contigisse fertur. Nam dum ARELATAE, ubi
puteorum & fontium penuria aquam è flumine vicino
haustum petant, ultra facinoris detestationem, gravissimo
incommodo oppidani conflictati sunt, cum eiu piscium
& aquâ, quæ ipsis è solo Rodano suppetunt, uti nollent &
à conspectu fluvii ipsius abhorrent. Plura desiderans
scire adeat Lansium in Orat. contra Gad. p. 267. de hæc la-
tinâ Maximilianus II, Imp. in literis ad Lazarum
Schvvendium tale fert iudicium: So viel die redliche
That/so die Frankosen dem Admiral und den Seinigen
tyran

tyrannischer Weise erzeiget haben / die kan ich gar nicht loben / und habe es mit herzlichem Leide vernommen / daß sich mein Tochter-Mann Carolus IX. zu einem solchen schändlichen Blut-Bade hat bereden lassen &c. In Summa / Spanien und Frankreich machen es wie sie wollen / so werden sie es doch gegen Gott den gerechten Richter müssen verantworten. *Goldast. in Reichs-Satzungen part. 2. f. 324.*

§. VII. Quòd nonnulli augurentur ARELATAM fuisse nuncupatam tanquam aram latam Deorum, quòd illic solerent quotannis omnes illius regni Incolæ convenire, & in omnium conspectu sacrificium tristis amnestiæ suscipere in loco suburbii, qui vulgò la Roquette dicitur, ubi super duas columnas, & quidem ex striatò marmore factas: tradit *Sebastian. Schröter in descript. orb. tom. 1. p. 303.* ara fuit posita prægrandis & execranda, Cæsari Augusto quoq; dicata, trium juvenum illo die sanguis innoxius, pro salute populi, populo super spargebatur, quos velut sues de communi emtos ad nefandam victimam ad statum tempus poscebant. *Stunic. in Itinerar. tom. 3. Biblioth. Hispan. p. 631. Zeil. in Itiner. Gall. cap. 5. Paul. Merula p. 2. l. 3. c. 39.* censet, hæc esse somnia ociosorum & ignavorum hominum, puraq; delirantium figmenta. *Peucerus in Chron. lib. 4. p. m. 451.* ab Ara lunæ ARELATEN denominatam esse, conjecturat; verba ejus ita se habent: *Arlun* laudet ara Lunæ, vielleicht daß man der Lunæ oder Mond nach heidnischer Weise / sonderliche Gottes Dienste daselbst gepfleget.

§. IIX. Spectatu ibi dignum palatium de Froilla, quod grata olim Burgundiorum Regibus sedes extitisse legitur; testis ejus rei erit *Guntherus lib. 5. Ligurini sui,*

Quæq; caput regni sedesq; fuisse vetusti
Fertur Arelatum, priscorum Curia Regum.

b

Ob

Ob loci hujus præminentiam & celebritatem Burgundia
Reges ibi lares fixerunt. ARELATE etiam apud Impe-
ratores impensè gratiosa COLONIA ROMANORUM à
Ptolomæo salutatur & quidem non immerito, quia populi
Romani Imperio erat subjecta; hoc etiam vetus inscriptio
demonstratum dabit:

COL. JULIA PIA ARELATE

Similem exhibet inscriptionem Merula *p. 2. lib. 3. c. 39.*

COL. JULIA AQVIS

Et COLON. JULIA. P. AREL.

Coloniæ origo admodum vetusta, nam *Nimrodus pri-
mus urbes condere, reparare & munire ad securitatem suam
cepit. Cumq; ex montanis in planitiem descendissent, ju-
bente DEO, ut propagandi generis, cavendæq; dissensionis gra-
tia colonias deducerent, totamq; excolerent terram, homi-
nes stulti non paruerunt. Cluv. Epitom. Histor. p. 5.* à plurimis
igitur gentibus, ut *Vellejus lib. 1.* docet, etiam introducta,
sed à Romanis longius latiusq; diducta. Romanarum
Coloniæ frequentiam sive intra sive extra Italiam quis
brevis papyro comprehendere? hic populus ait *Seneca
Consol. ad Helvet. cap. 7. quot Colonias in omnes provincias
misit? ubicunq; vicit Romanus, habitat: Ex Româ tan-
quam reginâ Gentium hæ Colonia civitates propagata.* Ini-
tium igitur earum ad Romulum refert *Dionysius*, qui loca
bello capta non præfidiis, sed coloniis muniebat. *Lipsius de
Magnitud. Rom. l. c. 6.* Nunc ad istam Coloniae deductionem
Scto aut populari rogatione opus erat, quæ *LEX AGRAR-
IA* vocabatur. Hanc igitur legem *Sp. Cassius* de agris
plebi dividendis primus promulgavit, nunquam deinde
sine maximis Romæ motibus agitatam *Cluv. Epitom. hist. p.
64.* cujus legis rationem omnem explicat *Sigon. lib. 2. de An-
tiq.*

xiq. provinc. Jur. Ital. c. 2. Hoc Scto facto, aut lege accepta, curatores, qui deducendæ Coloniae creati, Colonos in Coloniam sub vexillo deducebant. Cicero in Rullum: *Tum illud vexillum Campanæ Coloniae vehementer huic Imperio timendum Capuam à Decemviris inferetur.* Talis Curator extitit nostræ Coloniae Tiberius Nero pater Tiberii Imp. tum Quæstor C. Cæsaris, qui ejus jussu ad deducendas Colonias in Galliam, in quibus Narbona & ARELATE erant, missus fuit *vid. Sueton. in Tiber. c. 4.*

§. IX. Missi in Colonias non novum jus adipiscuntur, si scil. Colonia Romani juris foret. Sin Latini juris, mediam capitis deminutionem patiebantur Coloni Romani missi. Unde nec publicum nec privatum jus Civitatis retinebant. Cicero pro Cæcin. merito miratur eorum incogitantiam, qui ex civitate abeunt in Colonias Latinas, cum Cives Romani, si in Colonias Latinas proficiscerentur, Romanam civitatem amitterent. Egregie id explicat Boethius in topic. dum inquit: *deductione in latinas Colonias Cives Rom. mediam capitis diminutionem consecutos esse & Romanam civitatem amisisse, id quod ipse interpretatur per jus Quiritium privatum: Quod Colonia Civium Roman. adhuc reliquum habebant, neque hi omne jus plenum retinebant, sed tantum privatum; nimirum neque connubii, neque testamenti, neque mancipii aut nexus aut potestatis patriæ jus, quod erat proprium civium Romanorum, habuisse. Hoc enim differebant Coloni Latini à Romanis Colonis.* Arniseus de *Republ. lib. 1. c. 5. Sect. 9. p. 255.* posteriores non erant Cives Rom. quoad jus publicum capessendi magistratus & ferendorum suffragiorum, nisi id privilegium concessum beneficio Principis aut nave aut militia &c. *Ulpian. tit. de Latin.* Quomodo autem jure fruita sit civitas nostra, mihi non constat; nam omnes autores, qui ad manus meas pervenerunt, hæc

in parte magis muti fuere quam pisces. Igitur me quoque
candide lector, excusatum habebis, si expectationi tuæ
non satisfacere queam.

§. X. Si alii verò nomina dedissent in Coloniã civitatẽ suã
amittebant, nec cives Romani dicebantur. Hinc *Livius l. 34*
ait: *Novũ jus à Ferentinatibus tentatũ: Ut Latini, qui in Co-*
loniam Rom. nomina dedissent, cives Romani essent. Pu-
teolis Salerno & Buxento Romanorum civium Coloniis
adscripti, qui nomina dedissent, cum ob id se pro civibus Rom.
ferrent. Senatus judicavit, non eos esse cives Rom. Quod au-
tem Grot. de J. B. P. lib. II. c. IX. §. X. statuat, missione in Colo-
niã adipisci jus novum. Hoc assertum non videtur juri
Gentium consentaneum, sed omninò videndum cujus au-
spiciis, quã mente, quò jure, in quæ loca emittantur. In
dubio tamen, cum de jure gentium quæstio est, nec de
mente mittentium constat, & in loca fit missio, quæ civi-
tati, unde exit Colonia, non parer, populum liberum &
sui juris factum facile admiserim, inquit Illustris Præses in
suo *Beryto cap. 2. §. 13.* Sic quoq; venit intelligendum ex-
emplum à Magno Grotio *cit. loc.* allatum: Quod Rex
Tullius apud Dionysium profert. *Ut omninò matrices*
urbes Coloniis imperent, quasi natura lege, id verò nos neq;
æquum neq; verum arbitramur.

§. XI. Quia Colonorum jura & instituta omnia po-
puli Romani arbitrio subjiciuntur. Tunc statim inter
Colonias & municipia differentiam videmus, quod etiam
observavit *Gellius lib. 16. c. 13.* inquiens: *Municipes sunt ci-*
ves Romani ex municipiis, suo jure & legibus suis utentes,
muneris tantum cum populo Romano honorarii participes,
à quo munere capessendo appellati videntur, neq; ullã populo
Rom. lege adstricti, nĩ populus eorum fundus factus foret.
Coloniarum verò alia necessitudo est: Non enim veniunt ex-
trin-

trinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur; sed ex civitate quasi propagata, licet ergò conditio Coloniarum magis sit obnoxia & minus libera: potior tamen est & præstabilior existimatur propter amplitudinem Majestatemque populi Romani, cujus ista Colonia quasi effigies parva, & simulara quædam esse videntur.

§. XII. Sed hîc non immeritò quæritur, an populus quidam locum desertum & incultum in alicujus territorio situm ob deducendam Coloniam occupare liceat? N. nam quod semel quis occupavit, id non excolendo non censetur dereliquisse, animus ergò spectandus Domini, qui in dubio non præsumitur. Grotii igitur sententia non est arripienda, dum infit *lib. 2. c. 2. §. 17. Ab illis rectè occupatur locus desertus ac sterilis, quia occupatum censeri non debet, quod non excolitur.* At ratio Autoris citati valde claudicat; nam belli Germanici calamitas docuit nos satis contrarium, ubi multas ditiones fuisse exhaustas desertasque scimus, quæ tamen occupanti non cedebant, sed impetranda foret venia à Principe, ut liceret illas excolere. Quin si Imperium populo veteri, ut ipse fatetur Grotius, salvum manet, interest certè, ne ipsi invito civis agnascatur. Posset enim ejusmodi populus desertorum culturam petere, quæ Reipubl. magis esset damno, quàm emolumento; Itaq; quicquid inculti & deserti soli in regno invenitur, id omne arbitriû Superioris expectat, cui id velit addictû, ut non occupatione sed assignatione possessoribus acquiratur *Ziegl. ad Grot. cit. loc.* Illa assignatio, cujus mentionem facit *Grot. l. 2. c. 2. §. 4.* olim fiebat assignando certam partem in Coloniâ missis hanc assignatam partem nemo poterat jure præripere. Neq; etiam huic peregrinæ genti competit potestas seu jus alteri bellum inferendi ob denegatam concessionem loci, tum ob cessantem causam justificam ut *Grot.*

l. 2. c. 22. §. 1. vocat, tum quia utilitas non par jus facit cum necessitate. Sæpe etiam quæstio obvenit, utrum Colonia censeatur ex solo an ex Colonis deductis? Interdum enim ex solo, ubi ædificata, uti videmus in urbe Cæsareâ, interdum ex nonnullis ritibus, si incerti sint Coloni forsitan, unde deducti. In quâ quæstione ad Dn. nostri præsidis Berytum cap. 2. §. 13. ubi pluribus exemplis illustravimus rem, lectorem cupidum remitto.

§. XIII. ARELAS igitur COLONIA SALYORUM vocatur ab antiquissimis Galliæ populis. Nam Ptolomæus lib. 2. c. 10. SALYUM oppida inter alia nominat ARELATUM & *Aguas Sextias*, cum quo consentit Plinius lib. 3. Inter *Salyos* habitasse *Sextanos*. Deniq; urbs dicta COLONIA SEXTANORUM Plin. l. 3. *Natural. hist. cap. 4. Merula. p. 2. lib. 3. c. 39.* ARELATEN Auctor *Sextanis* assignat, & quidem exinde, *quia milites veterani Sextæ legionis erant.* De iis vetus inscriptio, quæ Romæ eruta Anno **CL LXII.**

DIVÆ

FAUSTINÆ

AUG.

SEXTANI

ARELATENSES.

Quod genus Coloniæ, *militares* audiebant *Sigon. de Antiq. provinc. Jur. Ital. l. 3. c. 4.* ut præliorum diuturnitate fessi præmium aliquod aliquando caperent periculorum laborumque. Romani ergò à se devicta in loca vel firmandi vel propagandi Imperii ergò, ut aliàs nunc omit- tam causas, Colonias deducebant, quod velut summum præcium postremis temporibus persolvebant emeritis militibus, qui strenuè & fortiter se gesserant. ARELATÆ
igi-

igitur idipsum obvenit, quam **SEXTANORUM COLONIAM** Plinius appellat. Talem quoq; felicitatem exper-
tæ sunt **BLITERAE SEPTUMANORUM**, ubi septima le-
gio deducta fuit, si ergò non universæ legiones deduceban-
tur cum tribunis & centurionibus & suis cujusq; ordinis
militibus, ut consensu & caritate Rempubl. efficerent, sed
ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affe-
ctibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in-
unum collecti, numerus magis, quam Colonia. Tacitus
Annal. XIV. c. 27. n. 4. Occupatum ergò bello Veteranis assi-
gnabatur *l. 11. de Evict. l. 15. §. 2. de R. V.* unde Bodinus *lib. 2. de*
Republ. c. 2. tradit: Longobardos, Alemannos & Francos do-
minatam rerum omnium sic occupasse, ut nemo terra gle-
bam, nisi eorum beneficiò possideret. Romanos verò, ut cœ-
teros ferè populos, captivos suos in servitutem rede-
gisse: Expugnatas autem urbes ac populos devictos agri parte
septimâ multasse, eamque Coloniis civium Romano-
rum assignasse.

§. XIV. Optimè Feudorum origo inde deduci pot-
est. Germani enim Principes habebant Comites, qui i-
psis fidelem in bello exhiberent operam: fidelibus istis
credibile est, concessa postea fuisse à principibus prædia
tum in ipsis Germanorum, tum etiam in occupatis bello
terris sub conditione fidei & servitii militaris: ut non solum
ipsorum operâ in bellis uti, sed etiam devictos virtute illo-
rum in fide continere possent: Quod confirmant ipsæ le-
ges & mores feudales, ex quibus apparet feuda propter
militiam constituta, iisq; Vasalli milites persæpe nominan-
tur *2. f. 21. 22.* Molinæus itidem ex historiis demonstrat;
Francos terras Marte suo occupatas in feudum concessisse.

§. XV. Nostra urbs **MAMILIARIA** cognomina-
tur, causa hujus denominationis latet omnes. In Inscriptio-
ne

ne pulcerrimã, quæ ibidem in Columnã visitur, teste Josepho Scaligerò, in ædibus honestissimæ Matronæ Valensis.

SALVIS. DD. NN.
THEODOSIO. ET.
VALENTINIANO.
P. F. U. AC. TRIUM.
SEMPER. AUG. XV.
CONS. VIR. INL.
VALLENSIS.
AUXILIARIS. PRÆ.
PRÆTOR. GALLIA.
DE. ARELATE. MAMILIA-
RIA. PONI. S.
M. P. J.

Merula *p. 2. lib. 3. c. 39.* Imò GALLULAM ROMAM vocavit Aufonius, cum in multis Romam Genetricem æmuletur. Ammianus verò *multarum civitatum decus* appellat *Cluv. in Introduct. Geograph. l. 2. c. XV. p. 149.* tum etiam ob celeberrimum Emporium, cujus commoditatibus invitatus Constantinus Tyrannus sedem Imperii illic statuit, ut refert Plinius *in not. l. 3. c. 4.* Laus nostræ civitatis dilucidior fit ex constitutione Honorii & Theodosii, quæ tota transcripta habetur apud Lansium *in Orat. pro Galliã p. 158.* ejus autem verba ita sonant: *Tanta est loci oportunitas, tanta est copia Commerciorum, tanta illis frequentia Commeantium, ut quicquid usquam nascitur, illic*
com-

modius distrahatur. Neq; enim ulla provincia fructus sui facultate lætatur, us non nisi hæc propria Arelatensis soli credatur esse fecunditas. Quicquid dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fecunda Gallia, potest habere præclarum, ita illic exhibetur assatim, quasi sibi nascantur omnia, quæ ubiq; constat esse magnifica. Hinc quoq; Cluv. in *Introduct. Geograph. l. 2. c. XV. p. 149.* dicit: ARELATO regio adjacens frumenti feracissima est, unde dum Genuenses & Hispani id avehunt, incolæ non parum ditescunt. Cùm ergò serviat huic civitati, quicquid terra habet præcipuum, ad hanc vel nave vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur: quicquid singulis nascitur. Ob frequentiam navium, quæ ibi appellebant, præfectus classis ARELATI seu Viennæ residebat, quia utrobq; stationem habebat. A Ripis horum fluminum, ubi classes stabant, GALLIA RIPARIENSIS est appellata, unde RIPENSES milites in *l. 4. C. th. de veteran. Notit. Imper. Occid. cap. 37.*

§. XVI. CONSTANTINUS Imp. urbi Arelatensium primus nomen CONSTANTINAE imposuit, quæ etiam locus erat Thesauri & Brombaricariorum sive Argentariorum præpositis, ibi & Jura Constantinus condidit *l. 6. C. th. de appellat. & moneta* cudebatur, ejus meminerunt Jcti in *l. 13. de Inst. act. l. 34. de usufr. legat. vid. Notit. Imper. Occid. c. 38.* Hæc civitas à Constantino Galliæ metropolis ac sedes præfecti prætorio Galliarum facta est, nec Constantino devictò mutavit Honorius, qui non potuit Galliarum prætorium Treveris, quibus ademtum erat, restituere, cum profligato Constantino illas tantum provincias receperit, quæ in Tyranni potestate remanserant. Labante postea Imperio ex constitutione Impp. Honorii & Theodosii de agendo singulis annis ARELATE conventu septem provinciarum

c

pote-

potestas data fuit. *Septem autem provincia dicta*, ut Bertherius putat, non numero, sed ex Tyranni designatione, ex quâ factum, ut quod remanserat in Imperio, hoc nomine à reliquis secerneretur. Hæ provinciæ vocantur: Viennensis, Narbonensis prima & secunda, Alpina & Nova populania, Aquitania prima & secunda. Ista ergo provincias à numero denominatas, arbitratur Jacob Gutherius *l. 2. c. 7.* eâ præprimis ratione; quæ ex hujus ævi scriptoribus colligi potest: Barbari enim incolas Insulæ Britannia eò disposuerunt, ut ab Imperio deficerent & suo arbitratu viverent: Imò Celtæ & Armorici ex Galliarum provinciæ spretâ Constantini sociâ, sese in libertatem vindicârunt. Romanosq; expulerunt Magistrat⁹ *Cluv. Epitom. hist. p. 319.* palam igitur libertatem & speciosa nomina prætexebant, innumeraq; libertatis dona conceptâ blanditiæ cum gravissimis Imperantis injuriis odiosè conferentes, animos Plebis Britannicæ & reliquarum provinciarum eò impellebant, de facili, ut quibus paulò ante grave visum fuit, tam violentis precibus onerum levamen extorquere, ii nunc indurato flagitiis animo umbratili libertatis spe tumescentes quærant non de remedio præsentis, sed institutione novæ formæ. Hinc neglecto Principe suo liberam Rempubl. & liberius vitæ genus incipere gestiunt, tam infelici plerumq; eventu, ut loco Justi & Clementis Domini, sævissimum Tyrannum, vel vice unius plures prædones cervicibus imponant, & postea omni libertate extinctâ populi, absolutissimum Imperium sibi concilient. Quod limitatum admodum in alio perferre non poterant, idq; egregiò quidem populi meritò, qui manus à legitimo Rege ideo non abstinuerunt, ut crudelissimos hosce Tyrannos haberent. Quod etiam Britannis contigisset, nisi contra Barbaros arma arripuissent, notanter dicit Gutherius *l. 2. c. 7. Itaq;*
Bri-

Britanni sumtis armis & pro salute suâ periclitati civitates suas à Barbaris imminentibus liberârunt. Edocentur profectò nimis serò & suo imprimis damno neminem libertati magis insidiari, quàm qui libertatem laudare solent Tacitus Annal. 16. c. 22. n. 8. cedrò digna profert: Nam ut Imperium, inquit, evertant, libertatem præferunt, si evertent, ipsam aggredientur, nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem vocabula usurparet.

§. XVII. Sed hîc non multum dubitationis habet illud, an Galliarum provinciæ & reliqui populi rectè fecerint, dum se in libertatem vindicarent? At responsionem statim suppeditat hæc ratio, dum omne imperium & potestatem populus in principem, etiam in se §. 6. J. de J. N. G. C. Grot. l. 1. c. 3. §. 8. n. 10. transtulisse fertur, nec potentia passiva nempe gens potest agere in potentiam activam, quocunq; modo hoc fiat sive per modum resistendi sive abnuendi paritionem. Nec igitur magistratui summam potestatem habenti, sed concessâ nequiter abutitur, justè resisti valet populus. Quamvis aliàs operosè distinguant; Securissima forsitan erit Taciti sententia: qui, bonos Principes optandos, non aliter ac sterilitatem, hyemem, cæteraq; naturâ mala tolerandos esse, ait, rebellionem semper pejora sequuntur; Inviolabilis credenda Majestas Dominantium, & id necessarium pignus publicæ pacis, ne scil. aut pluribus, aut unoquoq; seorsim succensentibus Regi, & res novas attentantibus periclitetur omnium salus & ruat patria: plus enim damni allatura est rebellio, quàm maxima vitia regnantis. Ut pluribus rem persequitur Becker in Synops J. P. c. 1. §. 4. Grot. l. 1. c. 3. §. 8. 9. Sicut enim ille, qui se arrogandum dedit, non habet postea facultatem semet emancipandi, & in statum sui juris reponendi §. fin. J. Q. M. P. P. S.

l. 31. ff. de adopt. Sic & qui deliberatò servitutem sui commo-
di causa subierunt, & qui ex his nati sunt, ad libertatem
proclamare non permittuntur *l. 1. l. 3. Quib. ad liber. procl.
non lic.* Se igitur à jugo Constantini provinciæ liberarunt
ob socordiam in illo culpandam: Quàm malè fecerint er-
gò hi populi, cuius, qui principia Politica modò delibera-
vit, ad oculos patebit. Imò nec illis subditis licebit in li-
bertatem eam sc. quæ populi est, se vindicare, ubi Impe-
rium vi partum est. Vi parta primùm imperia possunt
ex voluntate tacitâ firmum jus accipere, & voluntas aut ex
initio constituti Imperii aut ex post facto esse potest talis,
ut jus det quòd imposterum à voluntate non dependeat.
Grot. l. 2. c. 4. §. 14. confer Henniges ad Grot. cit. loc.

§. XIIII. Ex septemdecim igitur provinciis decem
cum Britannis defecerunt: quæ verò in fide manserunt, à
nobis §. XVI. sunt designatæ. A Septem verò provinciis,
quæ non defecerunt, Imperium illud SEPTIMANIAM
vocatam putat Josephus Scaliger *lib. 1. c. 24.* In quo, uti mi-
hi videtur, hunc errasse. SEPTIMANORUM enim gens
Narbonensi provincia concluditur, Plinius inquit; BLE-
RAE SEPTIMANORUM. Septimania ergo appellaba-
tur, quod septimani septimæ legionis milites ibi commora-
rentur: Unde Narbonensis provincia in Martyrum histo-
riis SEPTIMANIA nominabatur, ut ipse fatetur Scaliger.
Inde Septimaniam sex provincias includere & ex septem
unam facere, falsum erit.

§. XIX. Nunc venit perlustrandum jus Metro-
lis: tales verò urbes apud Romanos erant *maximæ, majores
& minores l. 6. §. 2. ff. de Excusat. vut.* Quorum quæ maxi-
mæ, *Metropoles* audiebantur. Imò provinciarum caput
Ictus Ulpianus appellat *l. 7. ff. de offic. Procons.* Ammiano
Matres urbium, Curtio MAIOR PATRIA, Sallustio O-

R.I.

RIGINES vocitabantur. Sicut Metrocomiæ inter vicos, nam plura castra, vicosq; comprehendebant *l. 6. C. th. de patroc. vicor.* Ita Metropoles inter urbes ut CUIAC. sentit *ad l. 8. C. de Exact. tribut. Gothofred. in not. ad l. 4. §. 5. de Offic. Proconsf.* In maximis vacatione munerum habebant decem medici & Rhetores quinque; totidemque Grammatici. In maioribus septem qui curent, quatuor qui doceant utramque doctrinam. In minoribus quinque; medici immunes sunt & tres Sophistæ totidemq; Grammatici *l. 6. §. 2. de Excusat. tut. Cujac. ad d. leg.* Denique hæc quoque prærogativâ gaudebant; ut Rectores provinciarum Româ missi per eam partem provinciam ingrederentur, per quam ingredi moris erat; Imò ex necessitate summa eam attingere cogebantur. Sic enim Imperator Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit, *Proconsuli necessitatem impostam per mare Asiam applicare καὶ τῶν μετροπόλεων ἐφεσον i. e. inter matrices urbes Ephesum primam attingere l. 4. §. 5. de Offic. Proconsf.* Hoc autem Rescriptum, erat responsum Imperatoris ad consultationem vel relationem illorum, qui Summo Principi supplicarunt *l. ult. C. de Rescript. vid. Magnif. Præses in Diss. ad Jus Justin. 1. §. 7. ut & in diss. de Statut. §. XVI. XXI. XXIX.* Sedes ibi habebant Provinciæ Præsides, Vicarii Rectores. Hinc Tacitus *lib. 4. Hist. c. 55.* inquit: *A Vitellio Julium tutorem Ripæ Rheni præfectum fuisse; sub Domitiano Lucius Antonius Præses Superioris Germaniæ à Svetonio salutatur.* Jure verò Saxonico: **Soll in allen Landen die älteste Stadt des Reichs ein Haupt seyn des Rechts. Weichbild art. 11.** Secundum Glossam.

§. XX. A RELAS postquam Metropolis evasisset, mirum non fuit, si deinceps etiam multarum instar urbium aliarum in Ecclesiastica dignitate augmentum consecuta sit, & ad altiora conscenderit. Ideò in sedem Metropol-

eam sublimata reperitur, ac non pallio tantum Archi-Episcopali honorata fuit, sed diversi etiam Præsides ipsi subiecti sunt. De re quidem inter omnes constat, de tempore non item. Quamvis igitur certum terminum firmiter invenire non valeamus, longè tamen antiquius Metropolitanum jus ARELATENSIS Antistitis, quàm à Josepho Scaligerò asseritur in Epist. ad Carol. Labbæum *lib. 4. Epist. 345.* verba Autoris ita sonant: *Se Aquis Sextiis vidisse notitiam Episcoporum Gallia ante trecentos annos scriptam, in quâ adhuc ARELATENSIS Præsul non Archi-Episcopus sed Episcopus sub Metropolità Viennensi censitus fuerit.* Ast quàm falsa sit hæc notitia Scaligeriana, inde patet; Quod in Viennensis Ecclesiæ gratiam composita partium studium nimis prodat. Contentio tum temporis magna inter ARELATUM & Viennam existerat de Jurisdictione & Superioritate. Arelatenses enim Episcopi prætendebant: quod Arelatensis Ecclesia dicatur prima sanctarum Galliæ Ecclesiarum Collation. VII. quintæ Constantino-politanæ Synodi *tom. II. Concil. p. 581.* Inde Arelatensis Episcop. Galliar. primas audit: Bertherius Pithan. *p. 201.* à Constantino M. quoq; Romæ & ARELATE indicta fuere Concilia, præceptumque Miltiadi Rom. & aliis Episcopis, ut COECILIANI Carthaginensis & DONATI controversias, præsentibus Augustæ Majestatis vicariis, deciderent. In hisce absolutus Cœcilianus, damnati Donatistæ *Cluv. Epitom. hist. p. 294.*

§. XXI. Ob has & plures alias, quas recensere jam supersedeo, rationes Epistolam quandam scripserunt pro Archi-Episcopali ejus jure Seculo V. Comprovinciales Episcopi Arelatensis Metropolis ad Leonem Magnum Papam Roman. contra Viennensem Episcopum: Quod scil. à dicto Constantino peculiariter CONSTANTINÆ nomen

men acceperit; quod Valentinianus & Honorius fidelissi-
mi Principes specialibus privilegiis MATREMONIUM (ma-
trem omnium) Galliarum appellando, decorarint: Quod
in eâ urbe, quicumq; intra Gallias ex tempore istorum o-
stentare voluerit dignitatis insignia, consulatum susceperit
& dederit: Quod eam sublimissimâ præfecturâ, ac reliquæ
potestates velut communem omnium patriam, semper in-
habitârint; quod ad eam ex omnibus civitatibus utilitatis
causâ concurretur: quod primum S. Trophimum à B. Pe-
trô intra Gallias missum habere meruisset sacerdotem; Ex
cujus fontibus universa Gallia fidei rivulos accepit, Meru-
la p. 2. l. 3. c. 39. istam Epistolam nobis exhibet Baronius *ad*
ann. 450. It. ad ann. 417. fermè iisdem verbis utitur Autor:
Quod enim Evangelium in Gallias per S. Petri Apostoli
discipulum Trophimum allatum fuerit, & per eundem se-
des Arelatensis erecta: Eâ de causâ eadem Ecclesia prima-
ria olim in Gallia habebatur, cum ejus Episcopi non solum
pallium acciperent à Rom. Pontifice, sed etiam vicem ejus
agerent, vicariique ipsius dicerentur. De Trophimi il-
liusque epitaphio legatur Itinerarium Stunicae. Hoc
quoque addendum, quod in ARELATI templô, loco cel-
siori ac ferreis januis concluso, argenteâ thecâ recondi-
tum hujus S. Viri corpus semel in anno IV. videlicet Kal.
Januar. quo die ejus festum agitur, publicè ostendatur,
Zeil in *Itiner. Gall. c. 5.* Inter has duas urbes lis demum so-
pita; quæ verba sententiæ ad meliorem intellectum non
piget transcribere: *De Altercatione Ursionis Viennensis,*
Episcopi & Elifanti Arelatensis Episcopi lectæ sunt Epistolæ
Beati Gregorii, Zozimi, Leonis & Symmachi, quæ desinie-
runt, eò quod Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas sedes
habere deberet, quibus illa quinta emineret, & Arela-
tensis Ecclesia novem suffraganeas, quibus ipsa emineret.

Ex

Ex quibus colligere licet, Arelatensem Metropolim jam
inde à Leonis Papæ tempore & quidem Imperante Carolô
M. origines repetere suas. Hadrianus enim Pontifex in-
ter alia hæc scribit Berterico Viennensi Archi-Episcopo:
*Habeat unaquæq; Metropolis civitates sibi subditas, quas
beatissimus Leo p. st. Calcedonensem Synodum singulis Metro-
politibus distinxit,* Mallinkrot. de Archi-Cancellariat. pag.
223. 224.

§. XXII. Sanè Arelatensibus magno fuère honori
Concilia plura in hæc civitate instituta de rebus Ecclesia-
sticis, nam non solùm Imperator Constantinus de maximis
Ecclesiæ rebus Concilia celebrare voluit, imò & Carolus
M. inter tantas Imperii curas ARELATI memoriam mi-
nimè depofuit. Circa ann. 813. enim, *vid. Annal. Adelmi
ad dict. ann.* per Galliam universam super statu Ecclesiæ
corrigendo Concilia celebranda jussit, & istic ejusmodi
conventum fieri voluit, Episcopos ibi congregatos per-
missos suos Johannem Arelatensis Ecclesiæ, & Nebridium
Narbonensis sedis Archi-Episcopum obtestando, ut Ec-
clesias, quas gubernandas suscepissent, & pia prædicatione
instruerent, & moribus sanctis exornarent, beatæq; vitæ
exemplis ædificarent. *Vid. Gervas. Tiberiens. de Imp. Rom.
& Gothor. Lombard. Regn. Commendatio à Madero nunc
primum edita.* Facultatibus quoque suis paupertate
gloriosè sublevarunt hujus urbis Incolæ, dum non so-
lum in gratiam pauperum Xenodochium & propter stru-
cturam & proventus splendidum erexerint *Zeil. in Itine-
rar. Gall. c. 5.* Carolus jam morti vicinus Thesauri sui partes
Metropolitanis ut & Episcopis distribuens, ARELATÆ
separatim portionem in Egenorum sublevamen est largi-
tus. A qua libertate non recessit Ludovicus Pius, cujus
cognomentum potest manifestum facere, licet quæ in

ARE-

ARELATEN contulerit speciatim, haut facile invenias.
Eginhart. c. 33. Hugo Floriac. in Chron. p. 175.

§. XXIII. In hac urbe multa etiam visu digna inveniuntur; Nam statim se offert ibi oculis domus *PORCELLLETTORUM*, ubi novem pueruli in lapidem incisi, de quibus ex Belleforesti historia refertur, quod aliquando quædam mater multorum liberorum & quidem valde egena Eleemosynam petiisset à Domina harum ædium, sed tantum abfuit, ut stipem acciperet, ut potius eam libidinofam & procacem mulierem vocaret. Mendica igitur *DEUM* ardenter imploravit, ut hæc dives mulier tot liberos, quot porcellos uno partu serofa pareret; Quo facto novem puerulos fuit enixa; unico filiolo retento, reliquos ancillæ suffocandos dedit. At eorum vita per providentiam divinam conservata, materque in perpetuum carcerem fuit detrusa *Zeil. in Itin. Gall. c. 5.* Perspicitur ibi quoq; turris *ROLANDI* seu armamentariū cum quinque triumphalibus portis Romanorum. Prope portam *Novi Fori (des Neumarckts)* habetur templum *HONORATI*, ab Honorio denominatum. Imò apud historicos reperitur lapis in dicta æde sacrâ ferreis cancellis clausus, in quò B. Virginem Mariam, dum ubera Salvatori nostro præbuerit, sedisse ferunt; Sed an hæc dicta magis fabulæ, quàm historiæ sint consentanea, in medio relinquo. Qui relationem plurium antiquitatum in civitate Arelatensi repertarum adhuc desiderat; adeat Itinerarium Galliæ *Justi Sinceri* ut & *Zeil. d. 1.* deniq; paucis attingendum: quod inter Massiliam & *ARELATUM* visatur *Campus Lapidus*, qui *Las Craux* nominatur: Sed ratio hujus nominis hæctenus omnes fugit. Cambdenus quidem putat hanc vocem ortum ducere ex antiqua lingua Britannica, ubi per vocabulum *Craig* lapis indigitatur

d

tur

tur. Tota regia adeò esse ventosa perhibetur, ut à vento, cui nomen Melamborio, lapides commoveantur, hominesq; curru ejiciantur.

CAP. II.

De

ORIGINE REGNI ARELATENSIS EJUSQUE SUCCESSORIBUS.

§. I.

NON ultimo loco inter laudes hujus civitatis ponendum, quod ab illa REGNUM ARELATENSE sit dictum: *vid. §. 1. c. 1.* Continet autem istud Delphinatum, Sabaudiam, tractum Sequanensem sive Comitatum Burgundiæ, & tractum Helvetiorum. De hoc regno res à primordiis deducenda. Constantinus M. divisio inter filios regno, fixaque sede Bizantii, Imperii Romani ruinam maturavit; nulli alii usui id factum, ut divulsus ab Oriente Occidens Barbaris eò facilius succumberet. Quàm egregium solœcismum Politicum Constantinus hîc commiserit, eventus sufficienter docuit. Cùm enim Cæsares in Oriente grassantibus Longobardis Italiam spernerent, Romanus populus ac Pontifex externam circumspexere defensionem. Tùm temporis autem valde Illustris erat familia Regum Francorum, igitur in auxilium vocatus Carolus M. Pipini Franc. regis filius natione Germanus *Magnif. Pras. diss. Exot. 4. §. 6.* Italiamq; ingressus victos Longobardos sub potestatem suam redegit, purgata quoq; sede
Ro.

Romanā à Barbarorum immanitate': Ob exhibita tam
Papæ quàm Romanis ipsis ingentia beneficia Leo III.
consensu populi, Clerique rogatu Carolum M. Imperato-
rem Occidentis salutatur ac inunctum Augustum appellat.
Magnif. Pras. diss. Exot. 5. §. 5. Becker. in Synops. J. P. c. 1. §. 6. Im-
perium ergò ad Germanos est translatum activè & passivè
i. e. quod Germani Imperatorem eligere habeant, & quòd
solum Germanus eligi debeat Cæsar.

§. II. In hujus invictissimi Caroli, qui in tantum lau-
dandus, in quantum virtus & felicitas intelligi potest, po-
tentiam successit filius ejus Ludovicus cognomine Pius, qui
Svasu Judithæ conjugis divisit inter filios degeneres regio-
nes, quorum Lotharius Imperium cum Italiā accepit, par-
temq; Regni Franc. Australem ad Mosam usq; fluvium,
Carolo Judithæ filio Francia, Ludovico Bajoaria obvenit.
Sed Ludovicus nequaquam portione assignata contentus,
quicquid trans Rhenum erat sibi asserendo, novis igitur
Germaniam motibus concussit. Ludovicò Piò mortuò
posteaquam ingentibus præliis, cum primis eo, quod ad
Fontiniacum Anno 840. gestum est, sese mutuò & Rem-
publ. miserrimè affixissent, pace tandem constituta, tres
fratres superstites omne Francorum Imperium divisere
Anno 842. quæ præcipua fuit causa convulsæ potentia
Francicæ, prostratæq; familiæ Caroli, dum nunquam rur-
sus in unum potuit coalescere.

§. III. Illa partitio quemadmodum fuerit instituta,
accuratè est observandū. Sed hanc divisionem benè expri-
mit Chronographus Regino Abbas Prumiensis *f. 41. Anno
Dominicæ incarnationis 842. tres fratres Imperium Fran-
corum inter se diviserunt & Carolo Occidentalia regna ces-
serunt à Britannico Oceano usq; ad Mosam fluvium. Ludo-
vico verò Orientalia scil. omnis Germania usq; ad Rheni flu-*

enta & nonnulla civitates cum adjacentibus pagis trans
Rhenum propter vini copiam. Porro Lotharius qui & ma-
jor natus erat & Imperator appellabatur, medius inter u-
trosq; incedens, regnum sortitus est, quod ex ejus nomine
Lothoringia nominabatur, totam provinciam i. e. Galliam
Narbonensem, nec non omnia regna Italia cum ipsa urbe Ro-
mâ. *Magnif. Pras. diss. Exot. 2. §. 9. Dn. Conring. de finib. Imper.
e. 3.* Erant autem Lothario Cæsari filii tres, itaq; totidem
in regna, ex more ævi, tertia illa pars Francia Imperii di-
visa. Ludovico II. Italia cum Imperii dignitate, Carolo
provincia seu Gallia Narbonensis, ut & Burgundiæ mino-
ris nonnulla, si aliis credimus, Lothario II. reliqua paternæ
hæreditatis trans Alpes, nempe Lotharingia obtigit *CON-
RING. de finib. Imp. c. 6.* Carolo Lotharii Imp. filio mortuo,
frater Ludovicus provinciam istam, Lotharius II. Bur-
gundiæ minoris partem, superstites fratres hæreditario ju-
re creverunt. Ludovico II. fatis decedente, ut Italianam
cum Cæsarea dignitate, ita & provinciam solus CAROLUS
CALVUS fratri natus majori Ludovico Germanico jure de-
bitam, per injuriam præripuit. Eadem postea potitus,
novum regnum condidit, unus apud illum benè poterat Ju-
dithæ Uxoris frater Bosso dictus, Ludovici II. Imp. de-
functi filia Irmengardæ maritus hunc provinciæ regem
creavit. *Lazius de Migrat. Gent. lib. 3. p. 92.* Regino ad ann.
877. eodem modo differit: *dedit insuper eidem Bosoni pro-
vinciam & corona in vertice capitis imposita eum regem
appellari jussit. Ut more priscorum Imperatorum regibus
videretur dominari.* Bosonem tamen nihilominus non a-
liò quàm Comitis titulo frequenter illius temporis scri-
ptores appellitant, quasi regii nominis in vasorem eum
habentes. Bosso, inquam, primus Rex hujus provinciæ
creatus & quidem impulsu Augustæ suæ, quæ negabat ju-
cun-

eundam sibi vitam fore, nisi virum regem complecteretur.
Hic videtur *Cluv. in Introduct. Geograph. l. 2. c. 13. §. 7.* à no-
bis dissentire, dum ultimum statuat Bosonem Regem i-
stius regni. Nam Carolus Calvus in provincia de facto
sibi attributâ regnum erexit & in eo Augustæ Germanum
fratrem regem constituit, ambitione ductus ut non solum
Duces sed & Reges crearet. Atq; hoc est REGNUM à præci-
pua sui urbe ARELATENSE dictum.

§. IV. Hic Boso deinde Ludovicô Balbô Calvi filio
vitâ functô, non solum provinciæ verum etiam Burgun-
diæ Rex appellari voluit, (Francis de Regno isto variè
sentientibus, aliis, filiis Ludovici Balbi ex concubinâ natis
deberi censentibus, aliis Bosoni ipsi, Regi provinciæ ad il-
lud injustè invadendum assentientibus, aliis verò id regno
Germaniæ refociare volentibus Sigebert. ad ann. 880.) pro
nihilò ducens adolescentes filios Ludovici & velut de-
generes despiciens. Quæ res obtulit illi magis odium
continuum ac incrementum periculorum, quam gloriæ &
dignitatis emolumentum. Siquidem dicti Ludovici Bal-
bi filii Ludovicus & Carolomannus cum Regnum pater-
num dividerent, ita ut Ludovicus, quod de Francia resi-
duum erat, & Neustriam cum Marchiis suis haberet; Ca-
rolomannus Burgundiam & Aquitaniam cum Marchiis
suis; tunc hi eundem Bosonem diebus vitæ suæ omni instan-
tiâ sunt persecuti, etiam illum apud Viennam obsessum u-
nacum conjuge & liberis in potestatem redegerunt. *La-*
xius de migrat. gent. l. 3. p. 96. Gervasius Tilberiens. de Imp.
Rom. & Longobard. Regn. commentatio & quidem in ejus præ-
fatione: Mortuo autem Bosone, Carolus Crassus filium
Ludovicum de filiâ Ludovici II. Irmendruda genitum a-
pud Kirchaim pagum Rheni honorificè suscepit ad homi-
nem, sibiq; adoptivum filium eum conjunxit *Annal. Ful-*

dens. ad ann. 887. Adoptatâ igitur Bosonis rebellis istius prole iras accendit Germanorum. Iste Rex clarus & felix fuisset, si tam scivisset parta tueri, quàm quærere; duobus enim suis fratribus defunctis, Germaniam omnem, Galliam & Italiam obtinuit, quod præter Carolum M. & Ludovicum nemini contigit, adeo plus est provincias retinere, quàm facere *Flor. l. 2. c. 17.*

Nec minore sit virtus, quàm quærere, parta tueri.

Casus inest illic; hic erit artis opus.

Omninò artis opus excellentisq; ingenii est ac summæ prudentiæ tueri parta. Fortitudo ad acquirendum, sed prudentia ad conservandum prodest; Infelicissimus itaque Carolus Crassus Imp. propriâ culpâ ob adoptionem factam & alias causas in odium omnium populorum incurrens, tandem inutilis Imperio, nec animo, nec corpore valens virum successorem habuit Arnolphum Carolomanni Regis filium: Quem Franci, Saxones, Thuringi è Carinthiâ acceperunt Francofurtum, eumq; regem sibi statuerunt frustra obnitente Carolo Crasso *Cluv. Epitom. histor. p. 384.* Itaq; Ludovicus Bosonis filius reconciliatus indubiè Regi nostro Crasso, & regnum ejus feudi legibus juris Germanici factum est. Neq; verò vel ab Arnulpho Successore quicquam in illum inclementer actû. *Conring. de finib. Imp. c. 12.*

§. V. Bosonis filius Ledovicus in provincia ARELATENSI succedens patri & quidem consensu Regum, qui cùm Italiæ quoq; regnum affectaret à Berengario captus & excoecatus *Cluv. Introduct. in Geograph. l. 2. c. 13. §. 7.* Neq; satis constat, num & ille regio titulo fuerit usus: Nec enim eum hoc nomine sive Luitprandus sive Annalium scriptor, sive quis Veterum alius, temerè dignatus est. Hujus hæreditatem accepisse videtur Hugo Lotharii Comitis Pro-
vin-

vinciæ filius, Lothariï Regis Lotharingiæ nepos, Lothariï Imperatoris pronepos, Pii Ludovici abnepos *Gervas. Tilber. de Imp. Rom. & Longobard. Regn. Commentatio in p̄fat.* hunc alias Bertæ filium patris nomine dissimulato appellant. Is provincialium Comes potentissimus audit Luitprando *l. 3. c. 3.* In Italiam quoq; evocatus, dum priorem dominum deseruissent Itali nempe Rudolphum Burgundiæ Regem, *Cluv. Epitom. hist. pag. 393.* Hugo, ut Rudolphum, quem mox mutatis animis revocare ab adversâ factione compertum habebat (Italiensibus semper geminis uti Dominis volentibus, quatenus alterum alterius terrore coërcerēt) ab illis consiliis penitus averteret, cum bello imparē se opibusque sciebat, ictō fœdere quicquid ipse in Gallia urbium finiumque obtinebat, ei tradit, jurejurando adactō in Italiam deinceps non se ducturum. *Id certum est regni Arelatensis dignitatem cum Burgundico conjunctam & in unum quasi corpus duo regna illa coisse.* Dubium an Imperatoris Heinrici Aucupis tum temporis consensu; tamen si Hugonem Comitatum Arelatensem Arnulphi beneficio habuisse affirmet *Lazius de Migrat. Gent. l. 3. p. 117. 110.*

§. VI. Dum igitur utroq; illo Rudolpho Rege penē avulsum fuerit à corpore Germaniæ Regnum Burgundicū: tamen sensim ad officium rediit, initio factō circa annum quadragesimum post nongentesimum. Nam Otto M. Rex, regnante Conrado Rudolphū filio in isto regno, Regem & Regnum in potestatem redegit. Fertur quidem de Rege quodam ARELATENSI, cui nomen Boso, quōd Episcopo mandasset in nativitate Christi, ne officium divinum ante suum adventum inciperet, ac moram trahente Rege id non observasset. Rex serō accedens indignatus Episcopo alapam inflixit, quæ querela ad Imperatorem delata, collecto exercitu urbem cum rege cepit & capite plecti jussit. At Episcopi & Cleri precibus vita donatu

in s

in Monasterium fuit detrusus, ac Imperio regnum **ARE-**
LATENSE attributum *Herm. Herm. c. 17. num. 7. Theodoric.*
Niem. in Nemore. Union. tract. VI. cap. 33. Sed videmus statim
quomodo hæc conveniunt cum fide historicâ. Otto verò de
die in diem proficiens paterno nequaquam fuit contentus
regno, sed abiens Burgundiæ regem cum regno in suam
potestatem redegit *Witikingus Corbejensis l. 2. ab eo tem-*
pore in Germaniæ Regum fide hoc Burgundicum sive A-
RELATENSE Regnum extitit: Verba autem Bosonis,
quibus allocutus Ottonem refert *Gotefriedus Viterbiensis*
part. XVII. Chron. p. 504.

Trado tibi regnum, cunctos depono de-
cores,

A modo nostra tibi sacra lancea præstet
honores,

Sola mihi monachi vita colenda foret.
Do tibi vivarium, Lugduni sede sedebis,
Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, ca-
stra tenebis.

Rex ibi Francigenis prædia nulla petit.
Lancea Mauritiï, mea quam tibi dextera
trahit,

Est caput illorum, quæ nunc mea regna
notavi,

Nunc caput Imperiï lancea sancta da-
bit.

Qva

Qua Dubius, Sana, Rhodanus fluit, estque
Vienna

Cis mare Thyrrhenum fuerant Bosonica
Regna,

Huic simul Allobroges & Morienna fa-
vent.

Sed hinc valdè dubito, cum Otto Frising. *l. 6. c. 18.* ut & Luit-
prand. *l. 4. c. 12.* sint in hac opinione Heinricum Cæsarem
Otonis M. patrem, sacram illam Lanceam Rudolpho Bur-
gundionum Regi nimis extorsisse; ergo Boso Otoni illam
tradere nequivit, confer *§. 6. c. 2.* Qui verò plenè restituit
illud Burgundiæ Regnum, est Rudolphus id nominis ter-
tius, per quem factum est pars Imperii. Nam dictus Rex
primùm Henrico II. Imperatori, filio Sororis suæ, eo autem
denatò, Conrado II. proprium transcripsit *Magnif. Pres.
diff. Exot. 2. §. 9.* Hic Rudolphus, inquit Wippo in vita Con-
radi, dum in senectute regnum molliter tractaret, maxi-
mam invidiam apud Principes regni sui comparans Secun-
dum Henricum Imperatorem invitavit, eumq; post vitam
suam Regem Burgundiæ creavit, & Principes regni jurare
sibi fecit: Sed defuncto Henrico II. Imp. Rudolphus Rex
promissa sua irrita fieri voluit, Conradus verò Rex magis
augere quàm minuere regnum intentus, Antecessoris sui
labores metere volens, Basileam occupavit, tentaturus, u-
trum pactis Rudolphus staret, quos Gisela filia sororis i-
psius Regis Rudolphi conciliavit *Cluv. Epit. Hist. p. 412.*
Confirmatâ postea inter eos pace, mediante dictâ Gisela
Regina, regnoq; Burgundiæ Imperatori tradito, eodem
pacto quemadmodum prius Antecessori suo Henrico da-
tum

tum fuerat. Ipsum Conradum etiam ann. 1033. Henricum verò III. concessu patris, anno demum 1038. Regem Burgundiæ coronatum esse, narrat Wippo. Interim certum, Regnum Burgundiæ Rudolphum Conrado tradidisse, quod à temporibus Arnolphi Cæsaris per annos plusquam centum triginta gentis suæ Reges tenuerat: Et sic Burgundia iterum in provinciam redacta fuit; rectè ergò cecinit Guntherus *l. 5. Ligurini*,

donec suprema voluntas
Regis Rudolphi regnis accedere nostris
Iussit, & antiqui detraxit nomen honoris:
Ut jam non regnum, sed sit bona portio
Regni.

§. VII. Quamvis per Comitum Insolentiam maximam autoritatis suæ non rarò fecerint jacturam, ut ferme jus in totum hujus provinciæ amisisse Imperatores videantur, dum semper ad se pertinere arbitrati sint Comites. Tamen hoc monuisse sufficit: Quòd Fridericus Barbarossa, Henricum filium in Regem Teutonicorum, ARELATENSIS, & Lombardorum creavit. Gervasius Tilberienf. *p. m. 15.* Imò & Otto IV. Imp. se ARELATI vel Burgundiæ Regem appellavit & possedit: de priori dubitat Dn. CONRING. *c. 13 p. 148.* cum inquit: Prius illud haut memini alibi à me lectum, posterius certum est ex eò, quod sigillatim Regno illo, qui summâ cum autoritate præesset, Marschalli titulo, constituerit Gervasium Tilberiensem dictum Henrici II. Regis Angliæ nepotem. Quamvis forte ob varias, quas tempore Imperii sui sensit adversitates, ipsemet eam visere haut potuerit. Uti satis superq; patet ex loco Gervasii *decis. 2. cap. 12.* quò provincia ad Regnum

gnum nostrum pertinentes, & emolumenta maxima, qui
cuncta cognita habebat; Item mores Incolarum, quam ac-
curatissimè depingit; ibi deniq; inquit Gervasius: *Cum in
omnibus abundet, in solo Rectore bono ac Principe egena est;*
*Tibi hoc est Domine, quod imputetur, qui caput tenes Imper-
rii & cum membra extranea moderaris, quod non minus esset
commodum, regere ac moderari contemnis.*

§. II. X. Burgundicū Regnū olim erat sub Parlamento A-
quensi, quod comprehendebat præprimis etiā, has duas ur-
bes Archi-Episcopales ARELATEN & Aquas Sextias Merula
p. 2. l. 3. c. 39. Quamdiu in Galliā floruerunt Comitatus, tamdiu
vel nullus vel rarus usus Parliamentorum & parium Fran-
ciæ fuit, ut origo demum videatur referenda ad familiam
Capetingorum. Fatetur Hotoman. *c. 17.* Franco-Gall. i-
psū Hugonem Capetum comitatus paulatim enervasse,
quod videret illa regna, quæ nimium indulgent Comitibus,
plerunq; ad Aristocratiam delabi. Sic cum Augustus in-
vaderet Imperium, suspectum erat populi Senatusq; imperium
ob certamina potentium Tacit. l. 1. c. 2. successerunt ergo in
locum Comitiorum velut ludibria quædam pares & Parla-
menta. Nonnulli Franciæ Historici institutionem PA-
RIUM ad tempora Ludovici VII. referunt. Autoritas
eorum non fuit adeò magna, sed inservire potius Regum
libidini, quam adversari eidem sunt soliti, ut nimirum ha-
berent instrumenta servitutis & Principes. Neq; major fuit
Parlamentorum autoritas in Galliā, utpote cum vix umbra
priscae libertatis sub voce Parlamenti retenta, supersit. Par-
lamenta Galliæ nihil aliud sunt, quam Collegium Icto-
rum, qui non eliguntur à populo, sed à solo Rege, suntque
curiæ stabiles ac perpetuæ, ad controversias potius priva-
tas ac minores decidendas, quam regni negocia institutæ.
Omnes qui in iis sunt, Regis stipendiarii existunt. Dum
e 2 autem

autem Bodinus Parliamenta Galliaë cum Comitibus Germanorum Principum comparet; hoc tam absurdum, ut non mereatur responsionem.

§. IX. Quamvis ratum non est promissum à Rege factum, nisi confirmetur à Parlamento, & quod Reges libenter vellent esse infectum, rejiciunt in Parliamentum. Egregiè falluntur, qui existimant, cum Reges acta quaedam sua nolunt esse rata, nisi à senatu aut alio coetu quòdam probentur, partitionem fieri potestatis: Nam quæ acta eum in modum rescinduntur, intelligi debent rescindi regis ipsius Imperio vid. Magnus Grotius *l. 1. c. 3. §. 10. n. 4.* ut & §. 18. nam non in partem regiminis sed Consilii adhibentur. *BECKER in Synops. J. P. l. 2. c. 4. §. 4.* aptè de hac re differit: *Censetur enim Rex alios sibi assumere in partem sollicitudinis, non verò in plenitudinem potestatis, quæ omnem respuit divisionem & quasi sanctum sanctorum est, in quod nemo intromittitur, nisi solus Princeps. Reinck. 1. Class. 2. c. 2. num. 238.* Hæc lex magno usui fuit Francisco I. in Hispaniâ captivo, dum renunciaverat omni juri suo in Flandriam, Burgundiam. Eò vix dimisso, Parliamentum Parisiense refragari, irrita regis promissa pronunciare adeoque semel datam fidem frangere, volente Francisco, decernebat, cui nihil gratius & acceptius accidere poterat, quàmvis recti specie liberari à tam damnosâ conditione. Malè itaque concluditur, regem facere non posse, quod Parlamento aut Senatui improbatur, sed hoc potius sequitur Regem id facere nolle: Atque hoc ipsum summæ potestatis argumentum est. *Ziegl. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 18.*

§. X. Hic videtur aliquid dicendum de nostris Comitibus. Perspeximus in §. 8. affatim intentionem Regnantis dum hæc abrogata esse voluerit Comitibus. E re sanè Imperii nostri est, ut illa frequenter instituantur, unde quo Comitio-

tiorum numerus minùs frequens est, eò minùs libertati
cautum est. Locum quod attinet, ubi illa celebranda, va-
riatum in Imperio videmus ex legibus & consuetudine.
Constantinus III. Comitìa annua in urbe ARELATENSI
perpetuò habenda constituit *Goldast. tom. 3. Constitut. Impe-
rial. p. 1.* Idem tamen conventus à Carolo M. Moguntiam,
Moguntia deinde à Friderico II. Francofurtum translatus
est. Ex Francorum igitur historia patet, tempore etiam
Caroli M. quotannis conventum populi universalem ce-
lebratum esse, & quidem plerunq; circa festum Paschatis.
Hodiè verò certus Imperii à legibus temporis terminus
illa indicendi non est positus, sed à necessitate ac utilitate
Imperii dependet, ut scilicet tunc haberi Comitìa justum sit,
quando ea haberi utile & necesse. Unde apparet non es-
se in liberrimo arbitrio Cæsaris tempus indicendorum Co-
mitiorum. Hæc autem debet indicare Imperator adhi-
bito Electorum necessario assensu ex legibus capitulatio-
nis *Lampad. de Republ. lib. 3. c. 8. §. 2.* Frequentiora ergò o-
lim fuisse Comitìa, quàm hodiè sunt, nemo est qui negare
audeat. Inde quoq; alii dicteria evomuerunt in frequentia
Comitiorum: *Germanorum diætas esse fecundas, & quamvis in
ventre habere aliam, ac credibile esse quia femininum nomen
sit, libenter impragnari ac parturire diætas: Quin & Alba-
nus acta publica audiens, ac ex iis, quod Germani iterum
indixerint einen Reichs-Tag percipiens Hispanicâ su-
perbia intumescens, quæsiuit, ob es bey den Teutschen
immerfort Tag/und gar keine Nacht habe? Woher sie
dann Zeit neymen ihre Râusche auszuschlafen? ut
refert Anton. Comitial. Ratisb.* Cœterum hæc sinistra exte-
riorum judicia non magnopere curanda. Comitìa verò mo-
derna depingit *Dn. Peller. in Politic. scelerat. denuò impu-
gnato p. 134.*

In protestando convenimus,
Conveniendo competimus,
Competendo consulimus,
Consultando confundimus,
In confusione concludimus,
Conclusa rejicimus.
Et salutem patriæ consideramus
Per consilia lenta, violenta,
Vinolenta.

Sed hæc facies rerum omninò deploranda. Cùm utilitas publica deficiat & gravissimas materiarum tractandarum efficit, ne diu jacere debeant indecisæ, sed communi operâ eò laboretur, quo debitum nanciscantur exitum mature. Summopere igitur Imperii interest, ut iste defectus corrigatur.

§. XI. Sed cùm Burgundicum seu A R E L A T E N S E Regnum ab Ottone Imperio sit adjectum; A quo etiã titulum Archi-Cancellarii per Galliam & Regnum A R E L A T E N S E Archi-Episcopus Trevirensis Elector accepit. Nomen Cancellarii à Carolo inde M. habent, qui Cancellarios habuit Episcopos. Olim veterum fores fuerunt Cancellatæ, & lignis reticulatim compositis textæ. Igitur qui ad eos Cancellos stabant Ostiarii, Cancellarii dicebantur. Hi autem expediendis iudicium iussis, edictis & Epistolis dictandis, signandisque, relationibus formandis, & responsis portandis operam dabant, & sic iidem planè cum Secretariis erant. Atque inter hos Secretarios, qui Principem locum tenebant, primum & summum Regni Cancellariam appellarunt, & etiamnum appellamus. Hoc officium à tempore Pipini & Caroli per Episcopos interdum

dum regiâ voluntate atq; Episcopali consensu per Diaconos & Presbyteros etiam administratum *Hincmar. Epist. 3. c. 3.* præterea primus fuit in Consilio regio inter regni proceres. *Hincmar. cap. 32, 34.* & quia Imperium Francorum tria sub se continebat regna alia, Teutonicum, Gallicum & Italicum, ex singulo regno Archi-Cancellarius fuit electus, qui cujusq; regni negocia debitâ fide & dexteritate curaret. Quam formam regiminis, cum secuti Imperatores tam ex sanguine Caroli oriundi, quam Saxonici retinerent, officium inde Archi-Cancellariatus per Germaniam, Italiam & Galliam mansit, & à Carolo IV. sanctione *A. Bullæ confirmatum est Magnif. pres. diss. Exot. 2. §, 8.*

CAP. III.

De

ALIENATIONE ISTIUS REGNI.

§. I.

Regnum nostrum ad Imperium Rudolphi Habsburgensis usq; proprium mansit, quamvis Comites per arrogantiam sibi de facto attribuerent illud, tamen semper Cæsares Imperio iterum consociârunt. *§. 7. c. 2.* Hic primus, inquam, è domo austriacâ præter spem & opinionem fuit creatus, hætenus verò Ottocari Regis Bohemi Comes stabuli sive magister Equitum extitit, promotus ergò ad Imperii decus didit Rudolphus non ob potentiam, neque divitias, sed ob solam virtutem ac fortitudinem, & qui contractam Imperii navem ex tot tempestatibus in-
por-

por tum pacis ac quietis deducere valuit. Hic fuit, qui in-
terventu Pontificis Nicolai III. (is ante Pontificatum ap-
pellabatur Johannes Cajetanus *Cluv. Epitom. hist. p. 490.*)
hoc regnum clientelari titulo concessit: Indubitatis licet te-
stimoniis probare regionem istam fiduciario jure fuisse
concessam. Res igitur videtur altius repetenda: mortuo
Raimundo Berengario hujus provinciæ Comite generi il-
lius extitère duo Carolus Andegavensis postea Siciliae
Rex & Ludovicus IX. Gallia Rex: post Soceri mortem
adibat hæreditatem Carolus; At Rudolphus ad Imperii ju-
ra pertinere asserens, hæc de causâ etiam possessione il-
lum exuere cogitabat. Nicolaus Pontifex verò arbitrio
partium arbiter factus Matthæo Ursino Cardinali & Bene-
dicto Anagnino Notario, quicquid controversiæ erat,
commisit, ut cognoscerent & discordes reconciliarent ani-
mos. Convenit ut Carolus Siculus Beneficiario jure
provinciam retineret, & Rudolphus Clementiam filiam,
Carolo Principi Salernitano, Caroli regis Siciliae primo-
genito in matrimonium collocaret, dotisq; nomine comi-
tatum provinciæ concederet. Carolus Rex & Princeps
ex formulâ à Rudolpho Cæsare præscriptâ Imperatori &
Imperio homagium præstiterunt. Sic Cæsar ex pactis
conventis provinciam Carolo ejusq; hæredibus in perpe-
tuum concessit *Conring. de finib. Imp. c. 24. p. 424.* Dicitur qui-
dem Autor putat, quòd tum temporis non tam Regibus
Gallia illa possessio cesserit, quàm Carolo ejusq; posteris
Siciliae Regibus. *c. 24. p. 422.*

§. II. Bodinus quidem *l. 1. de Republ. c. 9.* tradit: *Heinri-
cum V. Imp. hoc Regnum Philippo Valesio Regi Gallia vendi-
disse.* Sed ostendat nobis Bodinus rei gestæ instrumenta;
videntur esse à *subverta*: nam Valesius ille rerum potitus est
ab anno Vicesimo octavo post millesimum usq; ad quin-
qua-

quinquagesimum: Interea verò temporis nullus Hein-
ricus Imperii rebus præfuit, sed Ludovicus I V. Cæsar,
cui cum Valesio tantum non capitales inimicitia in-
tercesserunt. Nec integrò illo seculò Henricus ali-
quis quintus, sed id nominis septimus Cæsarem egit.
*Vid. Herm. Herm. in Fasc. J. P. c. 17. VIEGNIER part. 3. Bi-
bliothec. hist. p. 423. Scribit: Imperatorem Albertum anno
1299. cum Philippus Rex Francia Sceptum moderaretur,
omni juri in Regnum Arelatense renunciasse agrè tamen
ferentibus hoc ipsum Archi-Episcopis Maguntino, Tre-
virensi ac Coloniensi. Si igitur Electores Alberti Do-
num improbaverint, (quod tamen ex tabulis non pro-
bari potest, positò tantum, sed non concessio) non acces-
sit utique, ipsomet Viegnierio teste, consensus Princi-
pum, quo uno stat robur Cæsareorum munerum.*

§. III. Fertur quoque, quam relationem nobis
exhibet Goldastus in Epist. dedicatoria operis, cui ti-
tulus **Reichs-Handlungen** / quòd Wilhelmus Impe-
rator Comes Hollandiæ Anno 1251. Regnum hoc Bur-
gundiæ pro 10000. Marcarum argenti oppignoravit.
Richardus tamen Anglus postea reluit, ac Rudol-
phus I. Imp. rursus cum Imperio, uti jam tum dictum,
consolidavit, & Regi Carolo Siculo clientelari jure
concessit, quod Adolpho successor in Imperio non pla-
cuit, viâ igitur fuit indigna res, & successio minimè ipsi
preferenda. Sed conatus Adolphi irritus factus, uti ex
cit. loc. Goldasti patebit; ubi inter alia ita differit:
**Als der König in Frankreich in Zwyttracht und Un-
einigkeit der Deutschen Fürsten die Gelegenheit bey
den Haaren erhascht / und den besten Theil dieses
herrlichen Königreichs / unter seine Klauen mit
Hülffe und Zuthung des Pabsts von Rom ge-
rifs**

f

ris

rissen/ zoge Kaysar Adolf von Nassau Anno 1295.
mit einem Teutschen Heer in Frankreich/ den König
zu bekriegen/ und daß Königreich Arles wiederumb
zu den Heil. Reich/ als desselben getreuen Vogt zu
bringen. Aber der Pabst verschaffte so viel durch
Fürst Albrecht aus Oesterreich Anhang in Teutsch-
land/ daß der Kaysar Adolff von seinem Heldens-
Muth und Heroischen Vornehmen musste abstehen/
die Heeresfarth quittiren / und seinem Feind in
Teutschland begegnen. *Vid. Chronic. Spir. lib. 5. c. 18. De-*
mum transactione inter Albertum Austriacum Imp. &
Philippum Pulcrum regem Gallia Anno 1299. interce-
dente, hic occupatas provincias Regni ARELA-
TENSIS in feudum recognovit, simulque confirmavit
à Rudolpho Alberti Imp. patre in Gallos collatum be-
neficium. Quòd autem jura Imperialia alienarit, non
possum induci, ut credam.

§. IV. Non aliò jure in Gallum collatum es-
se à Carolo IV., multa sunt, quæ suadent. Inprimis
quod Gaguinus *lib. 6.* & Vignerius (posterioris Auto-
ris verba repræsented *Dn. Limn. in J. P. l. 1. c. 9.*) tradunt,
Gallum ab Imperatore in ARELATENSI Regno Im-
perii Vicarium institutum, & quidem duntaxat per vi-
tam. Magnif. Pras. diss. Exot. 2. §. 9. Quod expressis ver-
bis sic testatur Viegnierius *part. tert. biblioth. histor. Lu-*
dovico Andegavensi donavit Cesar Carolus reliquias,
quæ superfuerant Imperatoribus in Delphinatu h. e. Pom-
pam & Charnacum & simul eum constituit ad tempus
vite irrevocabilem Majestatis suæ vicarium, ejus quod
tenebat in Regno ARELATENSI. Dum igitur da-
ta Regi Gallia vicaria potestas à Carolo Imp. in Re-
gnum ARELATENSE. Hinc sole Clarius est, Regno
Gal-

Galliæ non fuisse plenum jus in istud Regnum, imò tale ne quidem tum datum: Vicaria enim potestas non profectò summa erit, sed minor utiq; eã cujus est vicaria. Videmus ergò quid sentiendum quoq; de alienatione Caroli IV. quam fingit Aventinus l. 6. *Annal. Bojar.* cum Peucerò in *Chron. l. 5. p. 931.* positò etiam quòd Carolus IV. & Sigismundus Imp. Regnum ARELATENSE pleno jure in Coronam Franciæ alienaverint, tamen illa alienatio omninò esset invalida, nam inde id demonstratur, quod Imperium non sit in Mariupio Principis, Imperatoriq; eligatur, ut Imperio præsit ac consulat, ut sit *allzeit Mehrer des Reichs* / quod Cæsar augere non diminuere debeat, cum jura proprietatis ad ipsum Imperii corpus pertineant. In Galliâ Regem sine publicò Regni Conciliò nil alienare vel oppignorare posse probat Hotomann. *Illust. quest. 2. in fin.* ut patet ex Exemplo Francisci I. qui ex eadem causa recusavit, quæ Carolo V. promiserat. Cur ergò Reges Galliæ aspernabuntur idem jus sibi dici, quod aliis dixerunt, & quod in alterius personâ æquum esse crediderunt, cur in sua propria iniquum arbitrantur? l. 3. ff. *Quod quisq; Jur. in alium Stat. Herm. Herm. in Fascic. J. P. c. 17. n. 6. Limn. in J. P. l. 1. c. 9.* Imò ex dictâ Aurea Bulla, à Carolo I V. erecta satis patet contrarium; nam in illa constituit Carolus I V. Trevirensis Archi-Episcopum seu Archi-Cancellarium per Regnum ARELATENSE.

§. V. Sed quæritur an Trevirensis Elector per Galliam & Regnum ARELATENSE Archi-Cancellarius fuerit constitutus? Resp. aff. quia Aurea bulla dicit: Per Galliam & Regnum ARELATENSE, quæ conjunctio Et facit, ut etiam per utrumq; sit Can-

cellarius. Gallia enim pertinuit olim ad Imperii corpus, à quo tamen postea secessit. Unde Guntherus in Ligurino /.

At simul à nostrò secessit Gallia Regno
Nos priscum Regni morem servamus,
& illa

Jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis.
Hujus ergò antiqui juris respectu potius quàm moderni status ratione, ubi nec Gallia nec Regnum ARELATENSE quicquam nostro defert Imperio; Cancellarius dici poterit æquè ut alii veterum dignitatum retinent Emblemata, re licet ut plurimum mutatâ *Limn. J. P. l. 3. c. 5. Herm. Herm. in fasc. J. P. c. 17.* Videtur tamen hodie quædam loca Imperium nostrum possidere, ratione quorum Trevirensis titulum Archi-Cancellarii gerit; Nam Gallia nomine non ipsa Francia Occidentalis, sed sola Belgica in titulo isthoc veniat. Eoq; cum Anno 1357. Trajecti ad Mosam Tabulas aliquas Cæsar ille nempe Carolus IV. confici curasset, subscriptum est: *Vice-Reverendi in Christo patris Bœmundi Trevirensis Archi-Episcopi S. R. Imperii per Galliam & Regnum ARELATENSE Archi-Cancellarii recognovi Rudolphus de Fridenberg. Dn. Conrig. de fin. Imp. c. 8. in fin.*

§. VI. Carolo IV. natus erat filius Wenceslaus ex Agnete Palatinâ, cui bimulo diadema Bohemicum, quindecenni Augustum nomen comparavit. Nam cum non facile Principes, Electores ad eam rem trahi possent, ut duos adsciscerent Augustos, quod virtute non poterat, precio obtinuit. Promissis cuiq; Electo-
rum

rum centum millibus aureorum; Quos cum repræsentare non posset, publica illis Romanæ Reipublicæ vestigalia, i. e. die Reichs Zölle / obligavit, perpetuum Imperii detrimentum, libertatis Electorum pignus. Sic igitur Cæsarum opes ac patrimonia exitiosissimo exemplo ferè distraxit, Electoribus quoque semper adigentibus Imperatorem jurejurando, ne pignora addicta revocet. Unde factum est, ut à multo jam tempore Austriaci cæteris Germaniæ principibus opulentiores, Cæsarum diademate ^{et} ^{imperiali} ^{coronati} ^{et} ^{quædam} ^{alia} ^{et} ^{quædam} ^{alia} cum Germanicæ libertatis periculo. *Becker. in Synops. J.P. part. 2. S. 12.* neque verò per continuam istam Austriacorum successionem vera tollitur electio. Nam familia ista illustris hætenus se habuit instar materiæ, ad electionem, ut formam. At verò materia per se habilis ad recipiendum formam non potest alterare formam, quia non agit in istam, sed hæc in illam. Porro, si electio desit esse libera. Aut hoc evenit, quia jus in familiam Austriacam, fuit collatum ab Electoribus expressè aut tacitè sc. ipso facto familia illud acquisiverit ex actuum frequentia. Non expressè, quia obstant capitulationes Ergò nec tacitè, nam pro concessio nequit haberi, etiamsi mille actus fiant *Magnif. Pras. diff. Exot. 4. S. 23.*

§. VII. Rupertus etiam Imperator in Italia coronandus filium suum Ludovicum Vicarium Regni ARELATENSIS instituit, formula Vicariatûs à Frehero exhibita *de Orig. Pal. cap. 16. fol. 116.* Demum movet, quod Goldastus ait in præfat. *Der Reichs Handlungen: Kaysers Maximilian Außschreiben wider den Francken sa. t mir viel ein anders / und lehret mich / daß der König in Franckreich mehr genante Fürsten*

Stentibus und Herrschafften von dem Römischen
Käyser und dem Heil Reich zu rechten ordentlichen
Lehn empfangen. Accedit adhuc quoque; quod
Fridericus III. Imp. cum civitas Imperialis Tigurum
ab Helvetiis obsideretur Anno 1444. Hat lassen Lu-
devvig den Delphin aus Frankreich / als des Heil.
Reichs Verwandten und Vicari Aufmahnen / und
zu Hülffe und Entschüttung der belägerten Stadt
des Reichs Arles begeben / hernach aber hat man
in der That erfahren / daß die ~~nechfolgende~~
des Reichs Arles mehr mit Faust Recht als auf ihr
Lehn fundiret / besessen / und thätlichen inne gehabt.
Patet ex his Germanorum liquidissimum jus, quod ipsis
in Regnum ARELATENSE competit. Cæterum
hodie Galli summa sane injuria Imperium amplius ra-
tione occupatarum provinciarum Regni ARELA-
TENSIS planè recognoscere nolunt, inde etiam Dn.
Præs. Diss. Exot. 4. § 7. inquit: Idem judicium de Regno A-
RELATENSIS, cujus provincias Rex Gallia nequa-
quam pro feudis Imperii possidet, ut hoc jure acceperit
Dn. Limn. in additam. ad lib. 1. c. 9. Qui proinde non le-
gibus armatis, sed armis decoratis tandem aliquando
ad partitionem compellendus videtur. Præscriptio-
nem sanè Galli obtendere nequeunt, siquidem nun-
quam non reclamarunt Germani, Gallosq; publica o-
mnium voce in possessione inquietarunt. Thuanus l. 2.
ipsemet fateretur; dum inquit: *Hodie memoriam rei illius*
superesse in sermone vulgi. Regnum igitur ARELA-
TENSE, antequam in potestatem Regum nostrorum
veniret, sub imperio fuit, cujus rei memoria post subla-
tam Imperii Jurisdictionem aboleri non potuit, nam &
hodie in sermone vulgari ulterior Rodani Ripa Imperii
Cite-

Citerior Regni indigitatur. Pacificatione quoq; Monasteriensi Germani de jure suo nunquam cesserunt, utpote cum illa sit stricti juris, & ultra cessa extendi nequeat; ut nunc taceam, malæ fidei possessores in æternum præscribere non posse. Outinam iterum illucescat illa dies, quâ Rhodanus & Araris fluvii Galliam à Germaniâ disterminent.

§. IIX. Omnes igitur provinciæ olim sub nostro Regno comprehensæ ita recesserunt, ut vix vestigia earum supersint in nostro Imperio. Sed videmus quicquam adhuc in Comitatu Burgundiæ. Olim dicta Burgundia Regnum, circa Annum 1034. verò in Ducatum & Comitatum abiit: quorum ille versus Occidentem Burgundia inferior & Regia (Galliæ enim Regi subest) hic ad Orientem Superior & Imperatoria (quod ad Imperium spectet) ad Domum Austriacam pertinet & Regi Hispaniæ subicitur communi inter Austriacos titulo, *Herzog von Burgund Limn. l. 5. c. 2.* In nupero bello Gallo-Hispanico Anno 1668. universus ille Comitatus in potestatem Regis Galliæ venit; post tamen eodem anno pace stabilitâ Hispano restitutus. An verò sub expansis Aquilæ alis mansurus, dubitatur, dum adhuc hodie ingens controversia, (*wegen der dependentz-Städte*) inter Gallû & Hispanum gliscat, inquit Franciscus Irenicus in Burgoldensem *part. 3. disc. 8. p. 74.* Inde etiam circulus Burgundicus, sub se comprehendens provincias Belgicas. Hodie verò hæ provinciæ ab eô avulsæ, & separatam à Germaniâ constituunt Rempublicam. Præterea Rex Galliæ Principatum Burgundiæ huic circulo armis victribus subtraxit. Distributio ista in circulos ex instituto Maximiliani I. Nam post tempora Friderici II. Imp.

cum

cum universum penè Imperium in anarchiã abiit, tum etiam inter Principes Ordinesq; nulla regionum amplius fuit unio, nulla societas. Quod ipsum fuisse conjunctum cum maximo Reipubl. damno, res ipsa facile docet, cum nulla Respubl. salva esse queat, nisi inter ordines & cives firma societas observetur. Anno igitur 1500. Maximilianus I. Imp. Comitia Augustæ habuit, in quibus regiones Imperii in sex partes, quas circulos appellant, divisæ fuerunt: videlicet in Francicum, Bavaricum, Svevicum, Rhenanum, Westphalicum, Saxonicum. Sed postea Anno 1512. illis sex accesserunt quatuor circuli vid. R. I. Anno 1512. §. Davauff haben wir samt den Ständen. Sunt autem isti decem circuli: Austriacus, Burgundicus, Bavaricus, Svevicus, Francicus, Rhenanus, Electorius, Saxonicus Superior, Rhenanus Superior, Westphalicus, Saxonicus inferior. At fuit ex hypothesi, (cum nulla aliã viã valuisset communis Reip. utilitas, restitui atq; adeò in ferè unum corpus universum Imperiũ iterũ coalescere, fortassis illa in decem circulos distributio rectius potuisset omitti) prudentissimum ita dividendi Imperii institutum, quo & paci publicæ & legum auctoritati, quod contra immorigeros Status Principi cujusq; circuli proximo exsecutio mandari possit. Deniq; si non ad proferendos limites, aut recuperanda amissa, ad defendenda tamen, quæ supererant, inprimis ad libertatem ordinum conservandam, illis institutis sufficere sibi Germania potuit. *Magnif. Pres. diss. Exot. 1. §. 4.*

§. IX. Observandum est aliquod vitium laudabili huic instituto adhærere, quod scil. distributio illa non omnes Imperii provincias contineat, decem itaque hi circuli comprehendunt machinam Imperii non tamen
in

in totum, sed in tantum. Multa enim sunt membra Imperii, quæ sub circulis non sunt. In Comitibus Dux Burgundiæ sub tutela & membris Imperii comprehensus sessionem atque votum habet, ut Archidux Austriæ, *Er ist aber den gemeinen Pfennig zu sammeln nicht schuldig.* Sed tantum contribuit, quantum duo Electores. In expeditione contra Turcam tantum præstat, quantum tres Electores. Si cessat contribuere, potest contra eum in Camera Imperiali per fiscalem procedi: In reliquis à Camera Jurisdictione immunis ac exemptus est. Imperii tamen feuda ab eodem recognoscere & constitutionem de pace publica servare tenetur. Nam Dux Burgundiæ pro suâ personâ tanquam Vassallus Imperii Romani non est exemptus, si delinquat & frangat pacem publicam contra statum Imperii. Ideò contra eum & ejus officiales in Camera Imperiali processus decerni possunt: non obstantibus quoque Concordiis Anno 1548. erectis: quia illæ à Statibus Imperii semper fuere rejectæ *Limn. l. 5. c. 2.* Obliquo igitur oculo non pauci status inspiciunt hoc privilegium ducatus Burgundiæ concessum, quo is exemptus à Jurisdictione Camera Imperialis vigore transactionis factæ Norinbergæ anno 1542. *Mynsing. S. O. 58. num. 1.* & Augustæ Anno 1548. *Wehner. in verbo Stand des Reichs.* Et quamvis hic Ducatus non eximatur à Jurisdictione Imperii (non enim à foro privilegiatus continuo à subjectione eximitur, cum diversa sint forum sortiri & subditum esse) tamen admodum grave imò præjudiciosum hoc ipsum est Jurisdictioni Imperiali, quæ jure meritoq;

G

ad

ad omnes Imperii Status se extendere debebat. *Salutare quoque esse Consilium, censet FRANC. IRENIC. in Burgund. ad disc. 8. p. 75. ad reliquias & fragmenta Regni ARELATENSIS conservanda, ut Helvetii & Sabaudus, omnibus controversiis sublatis, arcto fœdere defensivo inter se jungerentur, ac Comitatum Burgundiæ, & alia loca versus Galliam in patrocinium suum potentissimum reciperent, & conjunctis viribus adversus Gallorum insultus hostiles propugnarent. Helvetiorum sane omnium interest, ut Burgundiam omni ope adversus Gallorum machinationes fortiter atque strenuè defendant.*

§. X. Nullo prætextu tenet Ducatum Burgundiæ Galliæ Rex. Olim enim lis de hoc Ducatu orta fuit inter Maximilianum I. & Ludovicum XI. Regem Galliæ, in causa erat Maria Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filia, quam pater heredem ex asse Burgundiæ reliquerat, Ludovicus autem Carolo filio suo desponsari ambiebat, sed Maria Maximiliano I. viginti & duos annos nato nupsit, reclamante frustra in Comitibus Francofurtensibus Rege Galliæ *Cluv. Epist. hist. p. 563*. At Ludovicus, quâ per matrimonium exciderat, spem bello instaurabat. Burgundiam statim occupat: Color & prætextus istius occupationis erat, quod Ducatus Burgundiæ à Philippo Pulcro Rege Francorum ut feudum masculinum dependeret. Deficientibus ergo istius Ducatus successoribus masculis, feudum ad Regem Franciæ rediisse. Sed Imp. Maximilianus I. Ducatum Burgundiæ regni feudum unquam fuisse negabat ex prægnanti causâ, quam jam tum tetigi
in

in cap. 2. §. 6. utut Imperator causa & victoriã e-
rat superior, prælio inter Tornacum & Ariam
commisso, tamen pacem certam incertæ aleæ belli
prætulit. Ideoque Anno 1482. in hæc pacta con-
ventum est. Ut Margareta trimula filia Maximi-
liani desponderetur Delphino nempe Carolo IX.
Ludovici Regis Galliæ filio, doti adscripto Bolo-
niense, Matisconense, Altissiodorense & Karoloten-
se agro. Sed Carolus post patris Ludovici mor-
tem conjugem Margaritam repudiat. Et sic Ca-
lamum huic nobilissimæ materiæ subducimus a-
gentes Deo ter Opt. Max. gratias num-
quam intermori-
turas.



G 2

CO.

COROLLA-

RIA.

I.

Magistratus est à naturâ.

II.

Legatus ob delictum atrox
non potest puniri, sed re-
mittendus potius ad eum,
qui misit, cum postu-
lato, ut eum puniat, aut
dedat.

IV.

Civis innocens, si ab hoste
ad exitium poscatur, mo-
dò

obdò non finiat temerè, pot-
est deserì.

IV.

Civis innocens, non potest
hosti dedi, ut periculum
vitetur.

V.

Concubinatus est verum
matrimonium de Jure
Naturæ.

VI.

Fœdus licitè cum infideli-
bus tam ratione commer-

G 3

cio-

ciorum quàm belli de-
fensivi iniri valet.

VII.

Caroli V. Capitulatio malè
comparatur cum lege Re-
gia Romanorum,

II X.

Verba Speculi Saxonici :
lib. 3. artic. 57. Rex
Bohemiæ non habet jus
eligendi, quia non est Ger-
manus, in mendo cubant
nullius hætenus Glosfis
medicabili : Emendanda
autem ita sunt : Hic non
habet jus eligendi, nisi sit
na-

natione Germanus respec-
tu tam patris quam ma-
tris vel saltem alterutrius.
Vide librum, Kaysersliche Land-
Königliche Land- und Lehn- Rech-
te/nach gemeinen Sitten und Ge-
brauch der Rechten/ Argentora-
ti typis Matthiæ Hupfuff Anno
1505. ibi: Der Vierdte ist der Kö-
nig von Böhmen / des Reichs
Schenck/ und soll dem König dem
ersten Becher bieten. Doch ist zu
wissen/das der König von Böhmen
keine Kur hätte/ wann er nicht ein
teutscher Mann ist. Dann die vier
Leyen = Fürsten sollen Teutsche
Mann seyn von Vater und Mut-
ter/ oder von einwedern. Itaq; Al-
bertus Stadenfis ad annum Do-
mi-

QX II 4
5791

mini 1240. non intelligendus
est de omni omnino Rege Bo-
hemia, quasi nemo Bohe-
mia Rex sit Teutonicus: sed de
Rege, ejusce temporis, quo
scribebat Albertus, nempe de
Rege Venceslao Monoculo,
qui neq; per patrem, neq; per
matrem, fuit Teutonicus, sed
per patrem Slavus, per matrem
verò Hungarus. Vide Dubra-
vium hist. Bohem. l.

15. & 16.



1072
M.C.



B. M. II, 46.
f. 6, 10.

RE

DI

Conf

DN. Jo
Aulæ Saxo
Ducalis

DN. P

Philippus

Ad

DICA

ARE-

SI,

Illustris

CH I, J Cti,

ni, Consistorii
acultatis Juri-
alis

obsequiò

tit
t/Eq. Thur.

LXXIV.

IS.

II n
5791

003724

21.

